

cæ literariæ malum, quod eruditorum optimæ mentis cogitata ab hominibus ejusmodi maleferiatis & ineptis hostili irrisione excipiantur. Cavendum est eruditis, ne homines ventosi, stupidi & malitiosi sesquipedalia injuriarum verba in viros modestos sine ulla causa evomant, alias nemo securus esse poterit. Te autem, mi Franki, rogo, ut, si quiete in posterum sedere cupis, omnem nigræ loliginis succum procul propellas, neminem despicias, nullius honoribus insidieris, & ex animo omnibus literatis bene cupias. Hoc vero facere non poteris, nisi tuam ingenii infelicitatem & ignorantiam in Philologia & lectione Rabbiorum, quam falso jactas, agnoscas, tibi que persuadeas hypotheses tuas, imprimis ea, quæ de accentuum sensu hieroglyphico agit, non a Minerva tibi esse immittas; illæ enim non merentur, ut inter Philologos summis unguibus ingrediaris. Et quod maximum, consulto tibi, ut mores inhonestos mutes, qui omnibus eruditis exosi. Memento, quod beneficium in te à Cl. Viro collatum, verteris in perniciem, perpende, nihil esse tam inhumanum, tam ferum, quam committere, ut beneficio indignus videare. Sed tuam ingratitudinem parum curat Cl. Vir, cum Antisthene sentiens: Regium est, cum benefeceris, male audire. Invidia quoque tua, quæ ægre fert, alium hoc seculo de accentibus scripsisse doctius, te ipsum torquet & macerat. Credas, invidiæ venenum non contineri sine propria pernicie, & alii torquent invidos virtuti serviendo. Et cur invidiam in iram erumpere pateris, hæc enim, ut nosti est insaniam initium. Spes quoque gloriam ex litibus cum eruditis captandi, prorsus est inanis, tam præsens, quam postera ætas inanis gloriæ cupidos contemnit. Ne speres, Franki, Cl. Virum næcias tuas pedantico pipere conditas unquam responsione esse dignaturum. Ille, ut spero, nunquam bonas horas tua somnia legendo, perdet. Non derunt tamen, qui novum lixivium in scabiem tuam temperabunt, si alios laceßere non desines. Qui pergit dicere, quæ vult, ea, quæ non vult, audiet.

P I N I S.

IN-